

secunda infra octavas epiphaniae domini praesentibus honorabilibus et discretis viris dominis Lutoldo de Stuternheim prothonotario, Michaele notario, Petro de Medewicz plebano in Bischofzwerde curiae nostrae magistro, Alberto dicto Kra, Henrico de Teywdicz clientibus nostris et aliis pluribus fide dignis.

Et nos Albertus praepositus, Theodericus decanus, Palbertus cantor, Theodericus scolasticus, Henricus de Slynicz archidiaconus Nisiczensis, Johannes de Draynicz praepositus Haynensis, Fridericus de Milticz praepositus Wurczinensis, Gerhardus de Wlftitz et Nicolaus Monetarii, canonici totumque capitulum ecclesiae Mynensis recognoscimus, quod emptioni — incorporationi et unioni omnibusque et singulis praemissis consensimus — et in evidentiam consensus nostri sigillum capituli nostri praesentibus duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 571. 1367. 18. Juni.

*Probst und Capitel übernehmen die in der vorstehenden Urkunde genannten Zinsen als Schenkung unter den Lebenden für den Altar des h. Georg und der h. Dorotheu und sichern dem Schenkgeber die Festhaltung der von ihm wegen Abhaltung seines Jahrgedächtnisses und sonst getroffenen Bestimmungen zu.*

In nomine domini amen. Nos Henricus praepositus, Nicolaus decanus, Palbertus de Molhusin cantor, Theodericus de Capilndorf scolasticus et totum capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus — quod honorabilis vir dominus Conradus Prûze archidiaconus Lusatiae et canonicus ecclesiae nostrae — coram nobis in capitulo ipso die datae praesentium super huiusmodi specialiter indicto in capella omnium sanctorum, in qua actus capitulares exerceri consueverunt capitulariter congregatis in plena mentis et corporis sanitate constitutus — duos mansos cum dimidio terrae arabilis cum quinque areis sive curiis attinentibus sitos in villa, quae media Ebirspach dicitur et solventes pro censu annuo duas sexagenas grossorum cum viginti duobus grossis in pecunia et annona et ultra haec pullos, ova et oblagia — ecclesiae nostrae Misnensi donavit perfecta donatione inter vivos, per hunc tamen modum, quod bona eadem et redditus vicariae sive altari in ecclesia nostra sito et in honorem beatorum Georgii ac Dorotheae virginis martyrum dedicato, quam quidem vicariam sive altare pro nunc tenet et possidet dominus Fridricus de Wilschicz, per nos et capitulum nostrum applicentur, annectantur et uniantur, ita quod idem dominus Fridericus et omnes sui in eadem vicaria successores eosdem redditus tamquam eidem beneficio suo annexos et unitos perpetuo percipere et habere et unam sexagenam grossorum Pragensium vel Misnensium bonorum et legalium ac pro tempore currentium dominis canonicis integritatis et emancipatis inclusa decima hospitalis et pretio campanatoris, nec non mediam sexagenam grossorum eorundem vicariis perpetuis et temporalibus in vigiliis et missa defunctorum praesentibus in anniversario obitus sui die, postquam de hac vita domino iubente migraverit, teneantur — annis singulis de vicaria praedicta in omnem eventum perpetue ministrare, et lampadem ardentem ante altare praedictum